



Hieronymus in Saxonia natus, & in omni genere uirtutum educatus est. Is cum felici ingenio esset præditus, sese ad Academiam Vuitenbergensem contulit, atq; artium fundamenta feliciter iecit. postea Iurisprudentiæ operam nauauit, & in ea adeo profecit, ut omnium suffragijs Legum Doctor crearetur. Inde inter Iuris professores assumptus magna laude docuit, & quæstiones difficiles feliciter enodauit. huia eruditioni adiunxerat pietatem, morum innocentiam, & eloquentiam singularem. Id cum Fridericus Elector cognouisset, eum inter consiliarios recepit, & res magnas suo nomine expedire iussit. quas quidem ipse optimè perfecit.

Cum autem postea 1521 Lutherus à Cæsare Vuormatiam citaretur, Fridericus princeps ei hunc Hieronymum adiunxit, atq; fori modum & ordinem declarare, & tanquam aduocatum astare iussit. Itaq; cum Treuerensis Cancellarius Luthero obieciisset, num libri æditi ipsius essent, an ijs acquiesceret? statim Hieronymus, hæsitante Luthero, alta uoce respondit: Intitulentur libri. In terea dum id fieret, Lutherus deliberandi spacium habuit, & se postea modestè excusauit. Hisce uirtutibus Hieronymus effecit, ut magnam prudentiæ & doctrinæ existimationem nactus fuerit. Tandem cum per uiginti sex annos in Academia feliciter docuisset, obiit, & honestè tumulatus fuit. Anon.